Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars II.
Wien, 1794 Seite 1305
Quelle:
Copyright:

latae Conceptionis SS. Dei Genitricis Mariae Devotissimus Tractatus. Autor, qui *Ord. Min.* fuisse videtur, nomen suum non adjecit, laborem vero suum *Leopoldo* I. Imp. obtulit, ut patet *fol.* 29. ubi postquam *Ferdinandi* III. in Virginem adfectum celebrasset, subdit: *Ejusdem piissimi animi ac coronarum heres modo extat Vestra Cæsarea Majestas, Romanorum Cæsar semper Augustus, Turcarum debellator et Triumphator gloriosus.* Conclusionem porro (methodo enim scholastica procedit) quam probandam sumit, ejus verbis adscribo: *Beatissima Virgo Maria in nullo penitus instanti habuit siue contraxit peccatum originale, sed in Conceptione sua semper fuit ab omni labe divinitus preseruata.* Atque in hunc finem Figuris Antiqui Testamenti, Dictis Patrum et Doctorum, Oraculis Summorum Pontificum, quos inter recentissimus *Alexander* VII. Decretis Conciliorum, Sensu Universitatum, Principum, Civitatum, Miraculisque utitur, in quo non semper limpidis fontibus usum adultior nostra aetate Crisis facile videt. Sub finem Adversariorum objectis respondet. Quae omnia uberiora habes apud *Coelest. Sfondratum*, et *Thom. Strozzium.*

II. *fol.* 53. sequitur Ejusdem: *Compendiosus Luciferi aliorumque ejus Sequacium primi peccati Discursus*, in quo eadem methodo adserta Angelorum existentia de quorundam Lapsu, Lapsusque natura disseritur. Ad calcem Autor se suaque Sanctae Matri Ecclesiae humiliter submittit.

CCCXXXVI.

Codex chartaceus lat. Sec. XV. Folior. 285. 4. currente calamo exaratus, rubricisque distinctus praemisso *Elencho* continet, quae sequuntur: I. Tractatum *de Angelis*, cujus Quaestio princeps: *Vtrum propter varia huius vie temptamenta indigeant viatores beatorum angelorum custodia.* Ut *fol.* 13. p. 2. minio notatur: *Ad hanc questionem respondit frater Mathias fabri de augusta ordinis fratrum beate marie de monte carmeli in conuentu augusten. Anno domini. 1467. in capitulo provinciali in festo sancti Jacobi apostoli. Et in eodem promotus est in lectorem sacre pagine.* Totius itaque Tractationis, quae multas deinceps etiam de reprobis Angelis Quaestiones continet, Autor habendus est hic *Mathias Fabri.* 488

II. *fol.* 61. praemisso *Elencho* sequitur Ejusdem Tractatus *de Votis*, cujus prima Quaestio: *Vtrum omne votum voventem executive obliget ad implendum id quod vouerat.* Ad hanc etiam, uti et subjunctas Quaestiones respondisse dicitur *fol.* 64. Idem *Anno. 1468. in alma vniuersitate Wien. lector ac magister artium. in crastino sancti ludowici conf. regis francie.*

III. *fol.* 118. Ejusdem tractatus *de Clavibus Ecclesiae*, cujus prima Quaestio: *Vtrum soli sacerdotes*